

LIBER

locissime moueri, mole sua id agente. Vnde reliqua opera minus graua terræ adiacentia in aëre relinquerentur, si omnia graua ad unum niterentur terminum, quod nusquam apparet. Terra demum circularem non habet motum. Si enim circa axem mundi moueretur ab occidente ad orientem, omnia quæ in aëre mouerentur, semper uersus occidentem moueri uiderentur. Non enim possent consequi motum terræ. Cuius contrarium in nubibus motis atque auibus sæpenumero experimur. Idem quoque accideret, si aërem unam cum terra hoc pacto moueri putaueris. Terra postremo circa aliam quæmpiam axem non mouetur. Sic enim altitudo poli nobis in terra quiescentibus uaria haberetur. Quod cum nemini appareat, terram hac lege moueri non posse constat.

CONCLUSIO SEXTA.

Motus cœlestes in duplici differentia reperiri.

¶ Est enim motus quidam cunctis cœlestibus committis ab oriente ad occidentem, quem in prima huius circularem & regularissimum ostendimus super duobus polis mundi. Quem quidem motum consequitur, ut omnia puncta extra axem suum signata, circulos inter se æquidistantes, & ad axem ipsum erectos describant. Horum circulorum maximus describitur à puncto æqualiter à polis mundi remoto, quem æquinoctialem uocant, quod Sole ipsum occupante, dies nocti habeatur æqualis. Alius est motus prædicto contrarius ab occidente uidelicet ad orientem, non super polis mundi sed alijs. Secundum hunc motum non describuntur circuli æquidistantes æquinoctiali, quod profecto accideret, si uterque motus eisdem sortiretur polos. Quo autem pacto motus ille secundus innotuerit, sic intelliges. Primi admiratores corporum cœlestium & eorum motuum considerauerant Solem oriri & paulatim eleuari, donec meridianum attingeret, quo denique meridiano relicto, tendere ad occasum, & immorari sub terra, rursusque oriri ut pridem. Id ipsum in reliquis astris deprehenderant. Cumque notassent loca ortus & occasus in terra, uiderunt post dies multos Solem in eisdem non oriri & occidere, sed aut ad meridiem, aut ad Septentrionem accessisse. Itemque Solem in meridiano circulo constitutum, nunc quidem ad uertices capitis uergere, nunc autem ab eis longius remoueri. Vnde coniecerunt in alio quodam orbe moueri, non quidem super polis mundi, cum in motu suo non seruaret æquales ab ipsis polis distantias. Amplius autem idem apparuit in cæteris plurimis circa stellas fixas notatis. Viderunt enim quod stellæ fixæ suas inter se seruarent distantias, locaque ortuum & occasuum non uariari. Putabant igitur stellas fixas non nisi secundum motum primum moueri. Planetas autem alio in super motu deferrri concluserunt, quod ipsi apud stellas fixas notati, post tempus aliquantum ab eis uersus orientem recessisse uiderentur. Cumque in hoc motu non seruarent easdem à polis mundi distantias, sed nunc quidem ad Austrum, nunc uero ad Septentrionem declinarent, oportuit motum huiusmodi circa polos alios accidere. Verum declinationem Solis & cæterorum planetarum declinationes eisdem ferme claudis limitibus didicerunt. Vnde ratum assererant, eos non supra polos mundi, sed alios in circulo quodam obliquo ad æquinoctialem circumferri. Has sex Conclusiones tamen si nullam præ se ferunt difficultatem, in capite operis nostri conscribere decreuimus. Præfationem autem

Ptolomæi ad literam exprimere libuit, tum propter crebras in ea sententias scitu dignissimas, tum propter auctoritatem Ptolomæi, quo etiam imitatio nostra fidelior redderetur. Nunc ad scientiam Chordarum feliciter descendamus.

Propositio